Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Piscibvs|| Et Cetis|| Libri V||

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529014

Illustration: Tab. XL. Anthropomorphos [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11089

Visual Library



Landesbibliothek Oldenburg

Pinnarum prope caudam longitudo ſeptem digitorum, latitudo quatuor. *Capitis* longitudo decem, latitudo ſeptem digitorum, craſſities ſeſquipedis. *Caudae* longitudo quatuor pedum et trium digitorum: craſſities ſeſquipedis. *Caudae* latitudo quatuor pedum et trium digitorum: craſſities in exortu quinque digitorum, quae ſenſim gracileſcit. Paulo poſt exortum caudae ſuperius parvam pinnam curtam habet, paulo plus digito longam, et mox poſt eam duos hamulos ſibi invicem ſuper erectos, piſcatoriis hamulis ſimiles et incurvatos, longitudine trium digitorum. Caro boni eſt ſaporis, ſufficiens quadraginta hominibus ſaturandis.

TAB. XXXIX. *Tiburonis* ſpecies minor. Belgis een Crupshape, a figura. Convenit cum majore, excepto capite, quod triangulare habet, ſeu prout cor vulgo pingitur. *Oculi* parvi ad latera ipſius capitis. *Os* parvum, triangulare longe infra poſitum, triplici ordine dentium minorum, unde ita nocere non poteſt, os quippe habens anguſtum. Caro melius ſapit, quam majoris.

Iperuquiba, et *Piraquiba*. Luſitanis *Piexe pogador* et *Piexe piolho*, noſtratibus *Dupger*, quia Tiburoni adhaeret ſugens. Octodecim digitos longus, fere teres, quatuor digitos craſſus, ubi craſſiſſimus, in poſtica parte attenuatur. *Os* habet triangulare, cujus pars ſuperior brevior inferiori, etiam linguam. *Caput* ſuperius ad dorſum uſque duos digitos longum, circiter planum et figuratum, ut palatum alicujus piſcis ſtriis tranſverſis, hac parte Tiburoni firmiter adhaeret in ventre, et capto illo ſimul capitur. *Oculi* parvi, flavi, pupilla nigra, ſemicirculo flavo. *Dentes* nulli, ſed eorum loco multae minutiſſimae prominentiae. Poſt branchias utrobique pinnam obtinet triangulatam, duos et ſemis digitos longam, ſubter in ventre duas junctas: a medietate corporis tam ſuperius, quam inferius, etiam pinna extenditur anguſta uſque ad caudam, quae pinna conſtat ſeſquidigitum longa. *Cute* tegitur per totum corpus cinerei coloris. TAB. XXXIX.

TITVLVS III.

DE ALIQVOT ALIIS, ET INTER HOS MONSTROSIS PISCIBVS.

CAPVT I.

De piſce ἀνθρωπομόρφῳ et Remoranti.

TAB. XL. I. *Kircher. Artis Magnet. l. 3. par. l. 6. p. 675.*

Piſcem ἀνθρωπόμορφον, ita deſcribit Kircherus. Capitur certis anni temporibus in mari Orientali Indiae ad inſulas Viſſajas, quas inſulas Pictorum vocant, ſub Hiſpanorum dominio, piſcis quidam ἀνθρωπόμορφος, id eſt, humana prorſus figura, quam ideo Peche muger vocant, ab indigenis Duyon. Caput habet rotundum, nulla colli intercapedine trunco compactum. Extremae aurium fibrae, quae et auriculae nominantur, ex cartilaginea carne eleganter veſtita, quarum interior pars ampliſſimis formata anfractibus, veram hominis refert aurem; Oculos ſuis ornatos palpebris, ſituque et colore non piſcis ſed hominis judicares; naſo nonnihil aberrat: malam inter utramque non uſquequaque eminet, ſed levi tramite bipartitur; ſub eo vero labra magnitudine ſpecieque noſtris ſimillima. Dentium non quales inſunt piſcium generi ſerratilium, ſed plenorum et candidiſſimorum continua ſeries. Pectus alba cute contectum, hinc atque hinc paulo latius quam pro corpore in mammas extuberans; neque eas ut foeminis pendiculas, ſed qualis virginibus globoſas, plenas lactis candidiſſimi. Brachia non longa ſed lata ad natandum apta, nullis tamen ipſa cubitis, ulnis, manibus, articuliſve diſtincta. In adminiſtris ſoboli propagandae membris, in utroque ſexu nulla ab humanis diſtinctio: poſthaec in piſcem cauda deſinit. Hactenus